

DISPUTATIO  
DE  
NOBILITATE,

Id est

De Nobilitatū virtutibus, immunitatibus, pri-  
vilegiis, & honoribus &c.

QUAM

Summè Nobilissimo adjuvante,  
In Inclytà Academià

ARGENTORATENSI,

Præside

Viro Clarissimo.

DN. MATTHIA BERNEGGERO,  
ELOQVENTIÆ PROFESS.  
PUB.

*Publici exercitiis gratiā propugnabit  
die 9. Junii.*

AUTHOR

BALTHASAR FRISOWITZ,  
N. Vngarus.

Cicero pro P. Sextio.

*Omnes boni semper NOBILITATI favemus, Equia utile  
est Reipub. nobiles homines esse dignos majoribus suis:  
Equia valet apud nos clarorum hominum & bene de  
Repub. meritorum memoria etiam mortuorum.*

ARGENTORATI

Typis IOHANNIS REPPII, ANNO 1627.


*Perillustri ac Generoso Domino,*

**DOM. FRANCISCO LISTIO,**  
LIBERO BARONI IN KETTSEE,  
Prellenkirchen & Kabold, Domino in Somlio  
& Janoshaza &c. Domino meo  
Clementi,

*S. P. D.*

**E**cce venit ad Te, perillustri Domine,  
Frisowitzii nostri de Nobilitate disser-  
tatio. Sed & ego affectu ac stylo unâ ve-  
nio, nō tam hoc epistolico ceu fomite  
veterem illam tuam in me benevolentia, qua ni-  
hil mihi est aut erit antiquius, instauraturus: nec  
enim extinctam, ac ne quidem imminutā credo:  
quā fidem facturus, & hoc tantum locorum in-  
tervallū, & istud prope decennii spatium, quo al-  
ter absimus altero, nihil dum decerpisse de pristi-  
nā illā cum meā, tum cæterorum Academicorum  
in Te observantiā, studio, cultu, quem, dum nobis-  
cum ageres, meritiſſimo tuo apud nos omnes ex-  
citasti. Et quidem illustrium tuarum virtutū juxta  
studiorūque tantō recordatio nobis jucundior  
accidit, quantō nunc taliū arctior annona est. Sci-  
licet hæc bella civica, in perniciem Europæ (falsus  
sim!) eruptura, vix ullos amplius Blagayos, Listios,





DISPUTATIO  
DE  
NOBILITATE.

PROOEMIUM.



Vantam Nobilitas mereatur laudem tam originis quam ampli-  
tudinis ratione, nemo dicendo pro meritis decantare valet. Nam  
ordinem nobilium, tanquam seminarium tum officiorum mu-  
nerumque, tum magistratuū togatorum, tum verò maximè mi-  
litiæ ergo habere oportet, Heigius. *1. quæst. 2. n. 63.* Et bello nobi-  
litas necessaria est: sine ea nec fides, nec fortitudo, nec prudentia

*Nobili-  
tatis ne-  
cessitas &  
commem-  
datio.*

bellica præstatur, Adam. *Contzen lib. 3. Politic. c. 20. ratione 5.* Ut haud inconcin-  
nè de ea dici possit, quod sit gloriæ soboles, apex humanæ felicitatis, columna  
honorum, tiara dignitatum & fons ejus, quod uspiam inter homines præclare lau-  
dabiliterque geritur. In hujus uberiorem notitiam, de qualitatibus ejus, & essen-  
tiâ, præsentis tempore disserere constitui, non quidem ostentandæ alicujus erudi-  
tionis, siquidem me ipsum ita nunquam amavi, ut ingenii aliquam laudem au-  
cuparer, aut doctrinæ alicujus venares gloriam: sed quod ingenii & prælatorum  
studiorum amore flagrantis officium ducam, id sequi, quod vetus proverbium mo-  
net: ut si media tenere cupimus, ad rerum fastigia nitamur. Etenim si nihil su-  
pra ingenii vires tentandum, nec unquam ex umbratili exercitatione in pulverem  
& publicam Clarissimorum ac Doctiss. hominum prodeundum coronam esset,  
nemo opinor ad ullam artium non dico perfectionem, sed ne mediocritatem qui-  
dem perventurus esset. Adeoque tales apud Sapientes in audaciæ crimen mi-  
nimè incident, qui conatum ad res maximas investigandas adhibent: imò qui id  
non tentant, ignaviæ potius atque delicti culpandi. Quare ne in talem maculam  
incidam, vobiscum Nobiliss. & Politiss. Studiosi, hanc qualem qualem disserta-  
tionunculam (salvo tamen omnium saniorum iudicio) conferre volui, quæ si for-  
san non omnibus ad stomachum, sciant me hic nihil decidendi causa proposuisse,  
sed tantum disceptandi, discendi, audiendi. Quemadmodum enim aroma-  
ta contrita magis redolent: ita & veritas, quanto magis contemnitur & oppugna-  
tur, tanto clarus in lucem profertur. Sicubi lapsus fuero, quod huic tam lu-  
bricæ ætati facile accidere posse fateor, candidè monentes meliora sequendi,  
promptus est animus. Cum Deo itaque Ter. Opt. Max. cujus vi ad omnia semper  
progreduendum. Imper. Justin. *l. 2. in pr. C. de off. Praef. Prat. Afric.* & sine cu-  
jus, ope, honore, nihil sitè nihilq; providenter auspiciandum. Plin. *in Panegy. c.*  
*1. p. jam jam exordior.*

THESIS I.

**D**E eminentia Nobilitatis, secundum Philosophorum communem opinio-  
nem, quibus æquum visum, à fundamento rem inchoare, pauca præmitte-  
re necesse puto. Si enim naturæ vim & universi terrarum orbis conditionem in-

*Eminen-  
tia Nobili-  
tatis.*